cludentur: rurſum, ſi emendationem poſiteantur, & re ipſa declarent: tanquam Chriſti & Eccleſiæ membra recipiuntur *a*.

a *Matt.18. v.15.16.17. 18. 1.Cor.5. v.4.5.11. 2.Theſſ.3. v.14.15. 2.Ioh. v. 10. 11. 2. Cor. 2. v.6.7.8.*

TERTIA PARS
de gratitudine.

XXXII.

86 Cùm ab omnibus peccatis & miſeriis ſine ullo noſtro merito, ſola Dei miſericordia, propter Chriſtum liberati ſimus, quid eſt cur bona opera faciamus?

Quia poſtquam nos Chriſtus ſuo ſanguine redemit, renovat nos quoque ſuo Spiritu ad imaginem ſui *b*, ut tantis beneficiis affecti, in omni vita nos erga Deum gratos declaremus *c*, & ipſe per nos celebretur *d*. Deinde ut nos quoq; ex fructibus, de ſua quiſque fide certi ſimus *e*. Poſtremò, ut vitæ noſtræ integritate alios Chriſto lucrifaciamus *f*.

b *1.Cor.6. v.11.*
c *Rom.12. v.1.2. & 6. v.13. 1.Pet. 2. v.5.9.10.*
d *Matth.5. v.16. 1.Pet. 2. v.11.12.*
e *2.Pet.1. v.10. Matt. 7. v.17. Gal.5. v.5. 6. 22.*
f *1.Pet.3. v.1.2. Rom. 14. v.19.*

87 Non